

episcopi Paphensis et reverendissimi domini Marci Antonii Regini Protonotarii apostolici, eos in ipsorum decimarum collectores et exactores, una cum reverendissimo domino Patriarca nostro nominavimus ac tenore praesentium nominamus, cum omni capacitate et facultate eas petendi, exigendi et colligendi, ac omnia alia faciendi, aliquis omnibus modis et conditionibus prout in dicto brevi latius continetur, cuius tenor erit inferius de verbo ad verbum descriptus. Declarantes, quod pecuniae quae de huiusmodi decimis exigentur de tempore in tempus, mittantur ad officium Gubernatorum nostrorum introituum, ad hoc ut de eis teneatur particolare computum, accepti expensique rationes omni tempore videri possint. Mandantes universis et singulis rectoribus, officialibus, camerariis, magistratibus et representatibus nostris, ut huiusmodi denominationem nostram observare et observari faciant et debeant, praestando eisdem reverendis dominis collectoribus pro exatione huiusmodi facienda omne auxilium et favorem prout ab eis fuerint requisiti, sicuti pro eorum obedientia facturos non dubitamus. Tenor vero ipsius brevis, de quo supra, talis est. A tergo dilectis filiis nobili viro Andreae Griti duci et Dominio Venetiarum. Intus. Clemens Papa VII Dilecti filii saluteu et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis per dilectum filium Marcum Foscarum patritium venetum vestrum apud nos oratorem, quod licet nos alias ad praeces vestras per ipsum Marcum etiam tunc portrectas ex causis rationalibus et piis tunc expressis, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu duas decimas ex omnibus et singulis illius anni fructibus redditibus et proventibus quarumcunque Catedralium etiam Metropolitanarum aliarumque ecclesiarum, prioratum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum saecularium et regularium etiam militiarum in Domino et Ditione vestris consistentium, per personas tam exemplas quam non exemplas, illa quomodolibet obtinentes et fructus ipsos etiam ex causa reservationum, pensionum etiam a similibus decimis exemplarum percipientes, personis eoruendem Cardinalium ac S. Joannis Hierosolimitani, ac B. Mariae Teutonicorum militibus dumtaxat exceptis persolvendas et in causas tunc expressas convertendas et expoundandas imposuerimus certis exactoribus desuper deputatis, prout in aliis nostris inde sub plumbo sub datum, videlicet Romae quinto Calendas Maii, Pontificatus nostri anno primo, confectis litteris plenius continentur. Tamen, cum adhuc vigeant cau-

sae propter quas contra desiderium nostrum dietas decimas imposuimus, cogimur etiam ad praesens invitati praesertim ut marittima via loca piratis illa quotidie invadentibus tueri et defendere possitis, ad quorum tuitionem et defensionem non solum laicorum bona, sed etiam fructus ecclesiarum, beneficiorum in Dominio vestro consistentium sunt plurimum necessarii, supplicari propterea nobis per eundem Marcum oratorem humiliter curastis, ut quod personae ecclesiasticae fructus ex beneficiis ecclesiasticis in toto vestro Dominio consistentibus percipientes, ad quas non minus quam ad laicos pertinent dicta loca et terras et pyratarum incursionibus conservari, vobis in hoc ulterius subsidium porriganit providere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur, piis praecibus vestris libenter annuentes ac de venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, administratoribus, abbatibus, prioribus, praepositis, paelatis, capitulis, conventibus ac clero civitatum et Dioecesum, terrarum, castrorum, villarum et locorum eisdem vestro Dominio ac Reipublicae mediate vel immediate subiectorum et sub ipsis Domiuio et ditione consistentium, ulteriore in Domino fiduciam sumentes et nobis persuadentes quod ipsi quorum interest Rempublicam vestram loca sibi subiecta ab omni molestia conservare posse, etiam sua sponte in hoc subvenirent. Duas alias veras et integras decimas ex omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis quarumcunque cathedralium etiam metropolitanarum, aliarumque ecclesiarum, prioratum, monasteriorum, et beneficiorum ecclesiasticorum saecularium et ordinum quorumcunque regularium etiam militiarum, non tamen S. Joannis Hierosolimitani et Beatae Mariae Theuthonicorum in Domino et ditione eiusdem vestrae Reipublicae consistentium, ab eisdem archiepiscopis, episcopis electis administratoribus, commendatariis et abbatibus, ceterisque personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus ordinum et militiarum quorumcunque exemptis et non exemptis in predicto Dominio beneficia ecclesiastica obtinentibus, et fructus bonorum beneficiorum huiusmodi etiam ex reservatione aliquarum annuarum pensionum ab omni decima subsidio ac onere quavis etiam auctoritate apostolica, et ex quavis causa, etiam in favorem fabbricarum basilicae Principis apostolorum de Urbe, ut cruciatae et expeditionis contra infideles aut alios quosvis orthodoxae fidei hostes pro tempore impositorum liberarum et exemplarum, habentibus